



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Vita Reverendi Patris Martini Stredonij Soc: Jesu

Schwertfer, Wenzel

Pragæ, 1673

Caput XXIX. Suprema ægritudo & pia mors Patris Martini.

urn:nbn:de:hbz:466:1-43132

femper & cœli memor in suis cogitationibus & conatibus voluerit, ut tandem bonam ac beatam mortem, de qua pauculi non magnopere laborant, assequeretur! Qualiter autem in ipso mortis articulo se gesserit, qualiter cursum vitæ finierit, qualiter aleam æternitatis jecerit, adverte atque idem conare.

C A P U T XXIX.

Suprema ægritudo & Pia Mors Patris Martini.



Non dissimilis integerrimæ vitæ occasus fuit. quem P. Martinus tam certâ notitiâ prævidisse animo, quâ diutinâ præparatione faustum sibi ac beatum adornâsse visus est. Nam iterum ac sæpiùs disertè asseruit, Anno seculi Quinquagesimo, eodemq; Jubilæo (quo lætam reflorescentis Pacis & Reip. Christianæ faciem Orbi refulsuram piè ominabatur) minimè se futurum superstitem. ad proximè imminentem Conventum Generalem nonum, in Urbem se non iturum: hæc & illa, quæ nominabat, Provinciæ Collegia; se ampliùs non visurum: Brunam se se ad sepulchrum paulò post profecturum, ibiq; ossa sua depositurum. Postremo vitæ suæ mense, ante omnem gravioris morbi suspicionem, pro

CAPUT XXIX. 181

pro familiari colloquio piave lectione quotidie, solum de gloria coelesti, gaudijs Paradisi, felici aeternitate, statuque Beatorum in Patria, tractabat. In Collectione annua, cui ante semestre vacabat impensius, accuratas pro vita aeterna Rationes componendas, unice cordi infixas habuit. Erat hoc insuper rarum ad beatum obitum dispositionis paradigma illustre. Ultimo ab Quinquennio proripiebat ipse se noctibus prope singulis estrato, & ante DEIPARAE Virginis Imaginem in genua provolutus, statum hominis moribundi in seipso viva meditatione exprimebat. mox in spiritu ad fores Misericordiae Divinae accedebat supplex, & mortem peccatorum pessimam deprecatus, bonam ac pretiosam Mortem Sanctorum DEI, sibi donari enixissime flagitabat, illud cum affectu ingeminans: *Rex meus & DEUS meus: Dona mihi animam meam pro qua oro, & beatam ex hac vita migrationem, pro qua obsecro!* Hunc in modum tempus Resolutionis suae avidè praestollantem, deque provincia quam tunc secundò administrabat, rectè ordinanda, cogendaque propediem Congregatione Provinciali operosè sollicitum, laboribus ac itineribus insigniter fractum, tabidaque tussi secundum pulmones exulceratum, phthifica tandem febris, eaque cum crebra syncope tertiana duplex, Tertio Idus Augusti aggressa est,

tenuitque lectulo doloris affixum consequentibus diebus omnino quatuordecim.

Prolixum hîc foret Ephemerides texere, & singillatim recensere piè sanctèque dicta, gesta que ab ægroto his diebus; quos ipse sibi ad perpoliendam Virtutem, ad fructum ferendû, in patientia, ad dandum DEO gustum, ad exhibendam ejus Justitiæ plenam satisfactionem, magno DEI munere sibi concessio gratus agnoscebat, & lætabatur. Altero mox ægritudinis die Sacrosancto Christi Corpore, ceu Viatico in Domino morientium, inusitato pietatis fervore vesci cœpit, eandemque postea devotionem continenter & assiduè ad ipsum usq; diem obitûs servavit. Et licet primo triduo adduci nō potuerit, ut ad solatiû in loco ubi decumbebat Sacrificium offerri pateretur, quod diceret ejusmodi privilegium solis magnis Prælati convenire, se pauperem Religiosum velle in sancta humilitate permanere, & virtutem Sacrificij è vicino Templo per pia desideria attrahere: cessit tamen deinde pietati, ut illud ipsum quo ad supervixit, libenter admitteret quotidie. Officio Divino vel invitâ vi dolorum, ex toto aut saltè ex parte in dies faciebat satis religiosissimè: stata meditandi seseque colligendi intervalla temporis servabat perfectè; neq; ulla nocte quieti se dabat priùs, quàm Sanctos omnes
ex ordi-

ex ordine Litaniarum affectuosissimè invocâset, unâmq; paginam ex Imitationis Christi Libello & Sanctis Hagiophilæ affectibus prælectam, cum magna cordis teneritudine ponderâset. Binis diebus Dominicis per omnia Brunæ pulpita Concionatorum, expetiit suffragia pro ægrota quadam Persona Religiosa (seipsum denotans) ut miseratione Divina, beatam ex hac vita migrationem adipisceretur. Causam insolitæ petitionis rogatus, respondit, velle se hoc qualicumque exemplo suo, Ecclesiæ pro Infirmis preces implorantis, morem sanctum atque usum comprobare, & ineptam elidere persuasionem quorundam putidè existimantium dedecere Religiosos precibus secularium commendari. Præter crebras reconciliationes Sacramentales, maturè instituit generalem Exhomologesim, ut etiam hac in parte (quemadmodum agebat ipse) non deesset officio probi Christiani & boni Religiosi. Illâ peractâ, Christi è cruce pendentis Effigiem adferri petiit, coram qua mellifluos Divi Bernardi singula Christi membra salvare jubentis Rhythmos prolixis & amorosis affectibus solidæ horæ spatio pronunciavit.

In decursu morbi sibi ad extrema præsentissimus, eâ fuit Religione & Resignatione in DEUM, eâ fortitudine & patientiâ in dolores, eâ
submis-

submissione & mansuetudine in omnes, ut earum virtutum exempla similia se non vidisse unquam, sanctè facti sint, qui ægro constanter adhæserunt. Certè dum humi sibi strato lectulo in horas prope singulas conceptis verbis DEO grates dicebat, pro beneficio *Nobilis* Creationis, *Preciosæ* Redemptionis, & *sanctæ* Vocationis: dum orabat centies per amaritudinem mortis Christi, suæ sibi mortis acerbitatem dulcorari: dum agonem suum Misericordiæ Divinæ, ejusque Matri instanter commendabat: dum cœlestes spiritus, & Primos decem Patres nostros (primum Christi ad roborandam Ecclesiam Manipulum) supremæ luctæ suæ Auxiliatores advocabat: dum obsecrabat identidem conferri sibi in hac vita Gratiam consummatam, & in æternitate Visionem DEI beatam: Angelo humanâ carne induto & ægrotanti apparebat similior, quàm homini!

Postquam expetitæ sæpius Sacræ Unctio- nis factus est compos, fractâ voce, clarâ tamen, & pijs lacrymis distincta, egit gratias pro duplici beneficio, eoque prægrandi, quodd ei utraq; Mater, Ecclesia & Societas, contulisset; illa per (vasa Gratia) Sacramenta, sibi administra- ta; hæc per maternam dulcedinem, quâ sese per omnes virtutum, doctrinarum, & officio- rum gradus amantissimè deduxisset.

Sola-

Solatia deinde sua, quæ in Morte haberet, patefecit. *Primum* quidem, quòd videret sibi, ut aiebat, centuplum reddi illius charitatis, quam ipse agris nostris solitus fuisset ubique impendere. *Secundum*: quòd, si unquam aliàs, nunc certè haberet voluntatem suam cum Divina conjunctam, & in illa perfecta voluntatis resignatione & conformitate, haberet fundatam certam spem suæ salutis æternæ. *Tertium*, quòd Superiorum suorum voluntatem fecisset in omni tempore. *Quartum*, quod non meminisset se ullum mortalium voluisse unquam ex proposito aut scienter premere vel affligere. *Quintum*, quòd conatus fuerit coram & cum DEO ambulare, fideliter exequendo ea, quæ spectant ad Cultum Divinum. *Sextum*, quòd illum DEUS exercuisset à morbis, itaque docuisset ipsum modos, piè se consolandi in doloribus & molestijs morbi, ambulando per Christi vulnera, & mendicando misericordiam & gratiam ab singulis Angelorum & Beatorum Choris. *Septimum*, quòd à Beatissima Virgine DEI Matre, ab ipsa infantia mirabiliter fuisset educatus, ejusque vixerit Clientulus. *Octavum*, quòd florem Virginitatis, speraret se illaturum sepulchro illibatum. *Nonum*, quòd moreretur filius S. Matris Ecclesiæ, omnibus extremis Sacramentis ab ea ritè

munitus, & ut ipse agebat, *Regiâ mamillâ* Ecclesiæ lactatus, tot alijs in Infidelium sylvis relictis. & filius S. Matris Societatis, à qua materna prorsus pietate fatus & promotus fuisset, per omnes litterarum, doctrinarum, virtutum, officiorum gradus.

Dictavit deinde Rectori Collegij (Reverendo Patri Andreæ Schambogen, charissimo suo in spiritu filio) formulam verbis ac sensu gravem, ex qua deinde, vitâ functi nomine, palàm in Triclinio pro erratis veniam postularet Declinante tandem in vesperum die 25. Augusti, æger è dolore, velut sopore excitatus, ubi se toto corpore frigidum, & velut absumpto humido radicali marcidum sensit, alacri ac læto vultu de imminente fatali & ineluctabili hora, adstantes ultro monuit, petitaque pelvi, manus ac faciem abluvit, ac fatiscens corpus, ad vegetam alacritatem excitare conatus fuit. Tum quasi ei tempus, modùmque moriendi DEUS dedisset in manus, accenso pro more Cereo, ritè secum præeunte recitari iussit Commendatitias animæ emigrantis, preces Ecclesiasticas; utque eædem à reliquis Domesticis per Templum ac Sacellum distributis, ad initium singul-tus mortualis iteratò dicerentur, amanter postulavit & obtinuit copiosè. Quinque ipsas horas ducebat lethales anhelitus, & voce præclusâ

clusâ, præsentî semper animo ac vultu in Salvatoris imaginem defixo, (quam notabili tempore vivacibus adhuc oculis ejusdem, egomet præferebam) ea omnia dabat signa, de quibus antea convenerat, cupere se & absolutionis postremæ beneficium, & participationem Indulgentiæ plenariæ, & piorum affectuum inspirationem. Quod ubi ei fortiter luctanti præstitum, & oratio sinè intermissione facta fuisset à Nostris ab eo, ultimum actum cum insigni præsentium ædificatione transegit. Post sonora enim suspiria & vocem validam, ut olim S. Cassius Episcopus (quod Georgius Magnus refert) Christum expirantem imitatus, totâ facie decorè inflammatus, erecto aliquantisper capite, reliquôque corpore, obversæ Cruci velut obviaturus, utramque manum (quarum alterâ implexam Corollam precatoriam, alterâ Sacrum Cereum gestabat) ad pectus sensim ac modestè decussans tracto suspirio placidè expiravit, horâ post noctis medium primâ, ad diem Augusti 26. mansitque corporis vultus ad venustissimam Modestiam compositus, viventi quàm mortuo similior.

Sepultus est in Templo Nostro Brunensi ritu Societatis consveto, habuitque sepulturam celebrem & Prælatorum & Procerum frequentiâ, opinionem sanctitatis de ipso conceptam

palàm contestantium, plurimùmque Civitati gratulantium, quòd ejus Viri corpus haberet Inquilinum, cujus potissimùm precibus, meritis, & sapientissimis consilijs, in ea quam quadriennio antè pertulit, obsidione hostili, secura atque immunis perstiterat.

Parentavit in Procerum & Prælatorum frequentia Reverendissimus Dominus, Serenissimi Archiducis Leopoldi Guilielmi, Episcopi Olomucensis Suffraganeus, Episcopus de Miutino. desumpta ex mortuo facies, secutàque paulò post nonnulla miraculi famam & speciem habentia, ex ejusdem Iconis applicatione. dolores capitis ac vertigines depulsæ, bis podagra Illustrissimo Domino Joanni Jakartorosky Sub-Camerario, Viro de Moravia optimè merito ejecta. Restituta sanitas capitis, apostemate laboranti Illustrissimæ Dominae Zarubianæ pulsæ febres. R. P. Andreæ Schambogen destitudo à Medicis Gitschinij Anno 1651. in Junio, post factum per ejus merita votum. & (quod primum commemorare oportuit) redditæ vires uni languenti à jejunijs & orationibus commendatæ Matronæ, dum jacentes intrà tumbam corporis Reliquias, cœlesti odore afflata, Rosario attigisset.